

(1227) 1228, febrer, 26

Jordana d'Abadenques i el seu fill Ramon estableixen a Estefania de Palera, infermera de Sant Daniel, un solar situat prop del seu mas per fer-hi celler, a cens d'un diner, per 15 sous d'entrada.

ASD núm. 94, perg. orig., 207 x 125 mm.

Sit notum cunctis quod ego Iordana de Abadenchis et filius meus Raimundus, per nos et per omnes nostros donamus et stabilimus tibi Stephanie de Paleria domine nostre deuote Sancti Danielis tenenti locum ipsius infirmarie et successoribus tuis in perpetuum illud solum terre quod habemus iuxta nostrum mansum, ad faciendum ibi cellarium, quod affrontat ab oriente in ipso nostro clauso, a meridie in manso Petri de Abadenchis, ab occidente in podio Lexarii, a circio in ipso nostro mariso. Sicut ab his .IIII.or affrontacionibus predictum solum terre includitur, cum exitibus et ingressibus et pertinenciis suis et sicut melius dici uel intelligi potest ad tuum tuorumque comodum et utilitatem, sic prefatum solum terre tibi et tuis donamus et stabilimus ad faciendum ibi cellarium, tali modo quod tu nec successores tui non possitis in predicto cellario tenere bestias alicuius generis, nec gallinas nec pullos aliquos, et sic habeas et teneas dictum cellarium in perpetuum, et dabis inde tu et tui post te nobis et nostris annuatim pro censu ad auxilium nostri census faciendi unum denarium bone monete, et ita habeas, teneas atque possideas iamdictum cellarium in perpetuum, et propter hoc donum et stabilimentum recognoscimus nos a te recepisse .XV. solidos barchinonenses. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .v. kalendas marcii armo Domini .MCCXX. septimo.

Sig+num Iordane de Abadenchis, sig+num Raimundi filii sui, qui hoc firmamus firmarique rogamus. Sig+num Bernardi Altimirii, baiuli. Sig+num Raimundi de Hospitali. Sig+num Petri de Mercatello.

Sig+num Arnalli Muti. Bernardus leuita, canonicus et sacrista, qui hoc firmo saluo iure sacristie*.

(s. man.) Arnallus leuita, qui hoc scripsit die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 213